

P. VERGILI MARONIS

AENEIDOS

LIBER I

ILLE ego, qui quondam gracili modulatus avena
carmen, et egressus silvis vicina coegi
ut quamvis avido parerent arva colono,
gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis
arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit
litora—multum ille et terris iactatus et alto
vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
inferretque deos Latio—genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quidve dolens regina deum tot volvere casus
insignem pietate virum, tot adire labores
impulerit. tantaene animis caelestibus irae?

Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe

1^o-13 MRV 1^a-1^d 'Nisus grammaticus audisse se a senioribus dicebat Varium . . . etiam primi libri correxisse principium his demptis versibus: ille ego . . . Martis' Donatus. similia narrat Servius. e codicibus melioribus exhibet unus a, in margine manu recentiore scriptos. om. MRV γ bc. versus praeclarissimos iniuria poeta abiudicaverunt editores plerique 2 Lavinaque M¹V, agnoscit Serv.: -que om. M²: Lavina probat Serv. 3-6 interpunxit Henry